Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 729
Quelle:
Copyright:

VI. *fol.* 147. *Incipit prologus anſelmi archiepiſcopi In elucidarium.* Ita nempe: *Sepius rogatus a condiſcipulis* &c. Ut in edit. *Opp. Pariſ.* 1721. p. 457. f. Operis ipſius initium: *Glorioſe magiſter rogo ut ad inquiſita* &c. In Codice noſtro membrana poſtrema excidit ad c. 20. L. III. verba: *et fragilitate liberi erunt. Non tamen* —. Dialogos hos ob rationes ab Editore *Gerberonio* in *Cenſura* praevia adductas *Anſelmi* non eſſe, etiam mihi liquet; mirari tamen ſubit, tam brevi poſt S. Praeſulis mortem tempore, quae in annum 9. Seculi, quo Codex ſcriptus eſt, incidit, ignorari potuiſſe, quidnam illius genuinum ſit.

CCCXXXVII.

R. 62 Codex membraneus lat. Sec. XII. Folior. 153. f. min. charactere atro, luculento eleganter perſcriptus, rubricisque enotatus ſequentia continet D. *Auguſtini* Opuſcula: I. *Incipit liber ſancti auguſtini de uirginitate.* Initium: *Librum de bono coniugali nuper edidimus* &c. Finis: *et ſuperexaltate eum in ſecula Amen.* Extat Ed. *Maur.* T. VI. *col.* 341. Lectio noſtra ſat proba.

II. *fol.* 28. *Incipit liber ſancti auguſtini de gratia et libero arbitrio ad ualentinum et qui cum illo ſunt.* Initium: *Propter eos qui hominis liberum arbitrium ſic predicant. et defendunt* &c. Finis: *Fratres orate pro nobis — in ſecula ſeculorum amen.* Extat Edit. *cit.* T. X. *col.* 718.

III. *fol.* 51. p. 2. *Incipit liber ſancti auguſtini epiſcopi de diſciplina chriſtianorum.* Initium: *Locutus eſt ad nos ſermo dei* &c. Finis: *Ego et pater unum ſumus. Conuerſi ad dominum* &c. Extat Edit. *cit.* T. VI. *col.* 581. Ex ultima Formula *Sermonibus* accenſendus.

IV. *fol.* 58. *Aurelij auguſtini de decem cordis Incipit liber.* Initium: *Dominus et deus noſter miſericors et uerax* &c. Finis: *Quod hic deſideramus ibi inueniemus. Amen.* Ut Edit. *cit.* T. V. *col.* 48. Sed nobis accedunt Verſiculi:

Iſte liber modico tenuis ſit corpore quamuis.
Haut tamen exiguas fert tibi lector opes.
Quas tu ſi capias diſcrimina mille ualebis
Temnere perpetua atque carere fame.
Auguſtinus adeſt bonus hic athleta famoſus
Denas qui cordas tangere rite quiit.
Exempla iſtius fuerit quicunque ſecutus
Hic poſſeſſor erit, o paradiſe tuus.

Ni fallor, vetuſtae cuidam Editioni *Auguſtini* a Typographo adjectos vidi.

V. *fol.* 71. p. 2. *Incipit Prologus Beati auguſtini epiſcopi In libro enchiridion ad laur.* Initium: *Di-*